

1688.

1. Alberti, Georg. Tobias: Vindicias juris civilis
... proponet.
2. Berger, Fr. Henricus: De transmissione hereditatis.
3. Berger, Fr. Henricus: De auctoritate rixae.
4. Brendel, Joh. Karper: Furtivum principis clementia
Temperatam ... publicae disquisitioni subijcit.
5. Duennhaupt, Johannes: De politicorum aequivo-
catione
- 6.^a Ernsti, Joh. Christophor: De Eusebio episcopo Caesariensi.
- 6.^b Ernsti, Joh. Christophor: De Eusebio Pamphili episcopo
Caesariensi
7. Falck, Nathanael: De eo, quod licitum est subditis
in causa oppressae religionis
8. Heber, G. Michael: De actionis quod metus causa
in tale peculiari
9. Hoeltich Franc. Henr. ~~Foemina non est homo~~ ^{in 1672} Eingebunden!
- 10.^a Kirchmajer
10.^b Kirchmajer, Georg Karper: De auro obryzo et argento
purificato.

1688.

11. Ludovicus, Johan Georgius: De juramento.
12. Strauss, Godofredus: Exercitatio XXVII. ad lib. II. tit. 10. 559
599. de testamentis; item ad tit. 11. de militari testamento.
13. Strauss, Godofredus: De juribus Augustae competentibus
~~13. Strauss, Godofredus: De iudis equatibus.~~
14. Neickmann, Joachimus: De jure sepulturae per doct.
Xs. p. 10 v. am. 1770
a. b.
15. Lügler, Konrad: De jure revocandi, quod agna-
lis solis et jure retrahendi, quod filii cum agna-
lis competit 2 exempl.

1689.

1. Alberti, Georg Tobias: Delibationes juris . . .
publicae ~~proponet~~ proponet. . .
2. Alberti, Georg Tobias: De jure expellendi conductorem
3. Berger, Dr. Gotthofredus: De polygono cordis
4. Berger, Dr. Godofredus: De animi deliquiis
5. Berger, Dr. Henricus: Ordinis iuridici Decanus
lector . . . (orationi ad esse Christiani Schulzii
invitat)

1589.

6. Berger, Jo. Henricus: De jure ex pacto revocandi
si vendatur
7. Brendel, Joh. Kasper: Immutabilitatem juris natu-
ralis — publice ventilationi exponit . . .
8. Brendel, Joh. Kasper: Positiones juridicas . . . publi-
cae disputationi proponit.
9. Brendel, Joh. Kasper: De circumstantiis actus humani
moraliter boni.
10. Brunn, Joh. Christoph: De Eusebio episcopo Caesariensi.
p. 2.
11. Falcke, Nathanael: An subditio pro dependentibus
legibus fundamentalibus licet?
12. Fleckhauer, Aug: Invictissima caritas et perspicui-
tas sacrae scripturae et corporis juris Civis Furti-
mianei contra attrahentes adversarios.
- 13^{a-b}. Hornius, Kasper Hieron: De jure circa rem alienam
singulari. 2 Sentent.
14. Horn, Kasper Hieron: De feudo Franco.
15. Schwarzflügel, Ludov. S.: Stricture ad historiam Herfordiae
pertinentes.

1689.

16. Struun, Godofredus: De actionibus feudi nomine cum
potentibus.

16^a Weber, Andreas: De Tartaris.

17. Weihenmaier, Elias: De Frederico Senobarbo.

18^a Ligler, Konrad: De torturis seu quaestionibus.
2 Exempl

1690.

1. Alberti, Georg Tobias: De manu regia.

2. Beckler, Jo. Jacob: Biga quaestionum historicarum.

3. Bründel, Jo. Konrad: Fusi anaphylentium.

4^a Bründel, Jo. Konrad: De beneficio ordinis
fidejussorum.

5^a Heber, G. Michael: De jure offerendi.

5^b Kirchner, Christianus: Militem iurjurandum

causato sine obligatione ... in arnam producit.
7. Schwarzfleisch, Konrad Sam: Micionus auctoritati principis consulari.

7^a Schwarzfleisch, Konrad Samuel: De veteri agerorum

ritu.

8. Schwarzfleisch, Konrad Samuel: Decem consularum
... eduxerit

9 Schwarzfleisch, Konrad Samuel: In antiquitate ritum


salutari per osculum publico inquirendum proponit

1690

10. Schwarzflischer, Konrad Samuel: De Sirmio.

11. Strauss, Godofredus: De jure liberorum in parentum
aetate viventium bonis.

12. Wille, Hermannus: De Talionis.







3136.

I. N. J.

1688

523

DISSERTATIO JURIDICA

De

AUCTORE
RIXÆ,

Quam

PRÆSIDE

DN. JO. HENRICO
BERGERO, U.J.D.

ET PAND. P.P. CURIÆ ELECTORALIS,
SCABINATUS AC FACULTATIS JURIDICÆ,
NEC NON JUDICII DUCALIS, QVOD IN INFE-
RIORE LUSATIA EST, ASSESSORE, ET h. t. COL-
LEGI SUI DECANO,

*Domino Patrono & Præceptore suo nunquam
non obsequiosissimè suspiciendo,*

Publico Eruditorum Examine
submittit

AUCTOR

ADAM-HULDRICUS Schaffer / Spirâ-Rhenan.

Ad d. XIII. August. MDCCLXXXVIII. H. L. Q. S.

WITTENBERGÆ, Literis VIDUÆ MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typ.





ADAM MULLER
LUGTOR

DR. JOHANNES BERGER
PRAESIDE

ET PAND. P. CURIAE. P. BOYONALIS
SCABINVS. AC FACULTATIS JURIDICAE
ACADEMIAE IUDICIALE. CIVITATIS
LUGTOR.


Thomae Petrovi & B. ...



ADAM MULLER
LUGTOR

ADAM MULLER





I. N. 7.
THESIS I.



Vocabulum Auctor, si unquam aliud, magnopere profectò exercuit subinde Criticorum ingenia; unde est, quod alios *autor*, rursus alios aspiratione interjectâ *author*, alios denique *auctor* scribere videas. Qvi per simplex t. exprimunt, id vel ex græco *αὐτός*, quod & Baldvinus *ad tit. de auct. tut.* à Budæo se didicisse profiteretur, vel cum Vossio *L. 1. de Analog. cap. 27.* ab aveo ejusq; inusitato supino avitum, contractè autum, proficisci perhibent; hi verò, qvi mutam literam h. interpolant, ab *αὐθεντίας*, *αὐθεντία*, quâ voce ipse Theophilus in græcâ Institutionum transpositione usus est *tit. de auct. tut.* etymon accersendum esse existimant. Utriq; tamen acutiori, nî fallor, quàm veriori conjecturâ innituntur. Imò verò ipse Vossius, cui in his plurimùm aliàs tribuimus, *in Etymolog. f. 53.* sententiam istam haud obscurè deseruit, ut adeo non sit, cur illorum rationes moremur. Malmus magis cum iis hîc facere, qvi in Latino sermone venerandæ antiquitatis religionem servantes ab augendo auctorem appellari, adeoq; per CT. rectiùs pingi ex vetustis inscriptionibus ac libris hætenus comprobaverunt. Nullibi enim notam illam AUC. in veterum monumentis repertam aliter interpre-

Etymologia
vocabuli Au-
ctor.

tabuntur aut Valla Probus' aut Petrus Appianus aut alii, quàm per auctorem atq; auctoritatem. Et quidni Florentinam Pandectarum sequeremur editionem, utpote quæ omnium reliquarum purissima istam ubivis servat orthographiam tenacissimè. Neque sanè incongruum est, hunc, qui auctor alicujus rei existit, augere aliquid dici, dum alios exemplo sui confirmat. Est quippe auctor is, qui novum opus inchoat, & rei licitæ aut illicitæ ansam præbens, illius fons & origo nominari solet. Hinc passim auctorem generis, pro eo, qui stirpem instituit, imò apud Svetonium *in Claud. c. 24.* pro auctorem generis sui, pro proavo dictum reperies; Vicissim Tacitum auctores rerum vocare Historiarum conditores, qui tamen Salustio inverso significato administratores rerum seu Imperatores bellici sint, scriptoribus contradistincti Adr. Turnebus *Animadvers. cap. 25.* annotavit. Comicus Plautus auctorem modo pro tutore, modo pro consiliario ponit. Alciat. *parerg. L. 6. c. 6.* Videtur ab hoc Auctorator quoque dictus, Græcis ἀυτοραγοράς, quod nomen Julio primùm tributum idem ac Imperator significat, & perinde, sicuti Cæsaris appellatio, ad successores pertinet.

THESIS II.

*Homonymia
vocabuli Au-
ctor.*

Veruntamen ne hisce, quæ ex Lexicographis, si cui libet, fusius peti possunt, diutius justo occupemur, quàm varias in jure nostro significationes indeptum sit hoc vocabulum, curatius modo perlustrabimus. Et primò quidem frequens est illa Juris locutio, quæ auctorem & testem producere dicunt, quando eum, cujus auctoritate & svasionibus aliquid factum, & unde rumor ortus est, indicant. Vulgare hinc, auctores pro Jurisprudenteribus & consultis poni, vid. *l. 2. §. 13. ff. de Orig. Jur.* ibi: *post hoc deinde de auctoribus, i. e. Jurisprudenterum successione dicemus.* Et

no-

notari meretur, Salvium Julianum præ aliis ab Imperatore nostro in *L. 15. C. de Usufr. & habit.* hoc titulo condecoratum fuisse, ubi ipsum auctorem Juris scientiæ summum prædicavit. Sin autem, quod speciales Juris materias attingit, vocabuli acceptionem desideres, vel ipsis Justinianeis novis ex Institutionibus ignotum esse nequit, tutorem auctorem appellari, quando in negotiis ad pupillum spectantibus, id quod gestum est, auctoritate suâ interpositâ comprobatur. *t. t. Inst. & ff. de auct. & cons. tut. & C. de auct. præst.* Atque ad horum exemplum mulieribus quoque propter sexûs infirmitatem auctores dabantur, sine quibus ne ullam quidem rem privatam agere poterant, Livius *L. 34. c. 2.* iidem ferè, qui nunc temporis Saxonis curatores. Sic auctor etiam in rem i. e. causam suam fieri dicitur tutor. *L. 7. pr. ff. de auct. & cons. tut.* per consequentias tamen tantum, ut textus loquitur, non directò, *§. fin. Inst. & L. 1. pr. ff. eodem.* In materiâ contractuum is potissimum auctoris nomine venit, à quo emtor vel alius quis auctoritatem, jus domini putat saltem intentionaliter, in rem quampiam emtionis aut quocunque alio habili titulo accepit, quiqve præstare tenetur ut emtor seu quisque alius cum tali jure possideat rem, quali ipsam esse inter contrahendum affirmavit, *L. 5. pr. ff. de divers. temp. præscr. ibi: an vitium auctoris vel donatoris, eiusve qui mihi rem legavit.* Quorsum & facit *L. 3. C. de donat. quæ sub modo vel cond.* ubi donator auctor liberalitatis dicitur. Communiter tamen vox *Auctor* pro venditore tantum sumitur, ut in *L. 53. §. 1. ff. de Eviction. ib. cum possit emtor auctori i. e. venditori denunciare. L. 63. §. 1. ibi: auctorem laudaverat. & §. 2. ibi: ad auctorem reverti non potest, dict. tit. & infinitis aliis textibus.* Atque hos primos auctores nominatos existimaverim, siquidem aliud eorum adhuc genus

A 3

erat,

erat, qui pro evictione fidejubebant, quos Ulpianus aptè auctores secundos vocat *L. 4. pr. de evict.* ibi: *quæritur, an is, qui mancipium vendidit, debeat fidejussorem ob evictionem dare, quem vulgò auctorem secundum vocant.* Justiniano videntur *ἑσβαῖται* dici in *Nov. 8.* Juliano Patricio verò venditionis confirmatores usurpantur, vid. *Ant. Aug. L. 3. c. 6.* Deinde verò vocabulum *Auctor* in materiâ delictorum potissimum pro duce negotii sumitur, quo sensu occurrit in *L. 20. C. de furtis.* ibi: *auctor svasionis iniquus,* *Conf. L. 2. 3. §. 1. ff. de eo per quem fact. erit.* Verùm nulla ex his, quas hæcenus recensui, vocis nostræ acceptionibus instituto præsentis satis inservire videtur. Propius rem feriunt illi textus, qui de auctore seditionis loquuntur. Exemplum est in *L. 38. §. 2. ff. de pœnis,* ibi: *auctores seditionis ac tumultus,* *conf. t. t. C. de seditiosis.*

THESIS III.

Rixa descriptio. Rixæ verò auctorem nullibi in Corpore Juris facile dictum deprehendes, quæ loquendi ratio usu in foro verfantium sine dubio invaluit. Est autem rixa, quam vocem à ringendo denominatam produnt, iracunda verborum non modò contentio, sed & manuum sæpius concertatio.

Differentia à Jurgio. Latius siquidem patet quàm jurgium, quasi juris garrum, *Cap. Forus §. Jurgium X. de V. S. Hader* / quod ad factum nunquam prorumpit, & quandoque inter amicos quoque exoriri solet, siquidem & sic de contentione animorum inter Conjuges usurpatur in *L. 27. ff. de pact. dotal. ib. reversa post jurgium per dissimulationem mulier.* Ut plurimum itaque præcedere jurgium & sequi rixam credendum est. Sic enim Tacitus optimi commatis auctor *L. 1. c. 64.* ait: jurgia primùm mox rixa, quam proprietatem verborum Jcti optimè servârunt, dum rixam ad factum etiam referunt, vid. *L. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. ib. verberare cœperat; ex quo*

quo majore rixâ factâ: Jam qui has rixas amant, iisque delectantur, inde rixosos vocamus, quo quidem abominando omnibus, inter quos natura quandam cognationem constituit, *L. 3. ff. de J. & J. hominibus & detestando vitio* illos non solum laborare, qui valetudine aut ætate fessi sunt, verum etiam miseram famelicorum nationem Turnebus *Lect. Antiqu. L. 13.* comprobavit, belle hinc atque festivè cum Senecâ ibi famem atque sitim vitandâ esse monet, exasperat enim utraqve & incendit animos. Vetus dictum est, à lasso rixam queri, æquè autem & ab esuriente ac sitiante, & ab omni homine, quem aliqua res urit; nam ut ulcera ad levem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt, ita animus affectus minimis offenditur. Sciendum autem est, rixam inter paucos tantum & potissimum duos esse, indeque à turbâ & tumultu maximè discerni oportere, *L. 4. §. 3. ff. de vi bonorum rapt. & de turb.* Huc pertinet regula, quam imprimis Giurba inculcat *Conf. 82. n. 50. & Conf. 17. n. 6.* Rixa in dubio magis præsumitur quam insultus, & simplex quidem nec prævio tractatu nec animo deliberato facta, ex intervallo autem reiterata deliberatum arguit occidendi animum.

Rixa causa naturales.

THESIS IV.

Ut tandem quis auctor rixæ sit, constare possit, ex hætenus dictis struenda à nobis erit aliqualis saltem descriptio, qui accuratam & ad normam Dialectices fabrefactam definitionem præmittere non possumus, habeas igitur hanc: Auctor rixæ est is, qui injurias injustè in alium ad id non irritatus evomens, vel facto eum lædens, jurgio primùm, mox rixæ, pugnæ denique omniqve exinde profluenti malo ansam præbet atque occasionem, sive ut breviter dicam: is, à quo prior injuria exorta est. Audit aliàs offensor, insultator, inceptor rixæ, Alciato de singulari certam

*Descriptio
Auctoris rixæ.*

Synonyma.

*Differentia
ab auctore se-
ditionis.*

tam. *cap. 5.* dicitur provocator injuriæ, oppositione factâ ad provocatorem duelli, de quo in præsentiarum tractare non suscepi, nisi quatenus is etiam dissidii ejusque principii fax atque tuba, ut loquuntur, fuerit. Eadem ratione facile patet, nec seditionis auctores locum sibi quendam hinc vindicare. Sicuti enim rixam à tumultu & seditione multum differre ab Ulpiano superius edocti sumus, ita quoque, qui seditionem & turbam concitant, diversi à rixæ auctoribus sint necessum est. Illi etenim inter universum populum dissidia seminant, & tumultuariam factionem contra publicam quietem ac disciplinam nefario ausu concitant. Dicuntur in *L. 2. C. de seditios. Seditiosis & tumultus auctores.* Detestandi hujus & atrocissimi delicti exemplis omniævi scateret historia, & gravissimis semper id fuit coercitum poenis. Sic namque Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius in *l. 1. C. d. t. seditiosis vel auctoribus tumultum popularem facientibus*, welche im Volk einen Aufruhr oder Auflauff machen / gravissimam mulctam imponunt, quam mortis esse interpretatur Glossa in verbo: *gravissimam.* Idem probat *L. 3. §. 4. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & Nemesis Carolina *art. 127.* Si quando igitur hujusmodi populi seditio nascitur, diligenter observandum est Judici, unde ea seditio originem sumserit: nempe an officarii vel Senatores ob parum diligentem administrationem justitiæ aut alias ob causas in culpâ sint? Quo in casu Principis fuerit rem utrinque moderari, & suâ prudentiâ consopitam reddere, Damhoud. *Prax. rer. Crim. cap. 63. n. 8.*

THESIS V.

Sed age, eamus in ipsam rem. Nocte verò vel clandestino in loco rixâ, uti frequenter accidit, subortâ, inceperit crimen nullus facile dici vult, sed sæpius in judicio alter

ter alteri exprobrare solet, *tu incæpisti*, defensionem quisque pro se prætendens, ut adeo ferè Antonio Matthæi *de crim. libr. 48. ff. tit. 15. cap. 1. no. 2.* assentiar, nullum crimen manifestum, & ut vulgò loqvuntur, verè notorium esse, asserenti, aut si quod sit, non aliud esse, nisi quod palam & inspectante populo, vel in conspectu judicis & circumstantis coronæ perpetratum est: Quâ de causâ sollicitum ante omnia Judicem esse oportet in inqvirendo, uter ex rixantibus alterum ad iram provocaverit, & auctor disfidii existimandus veniat. Atque hæc res vel probationibus legitimis ostendenda, vel si hæ non suppetant, conjecturis tandem committenda, ut consideretur scilicet, quemnam majora indicia suspectum arguant. Ubi tamen cautè ac providè dijudicabit is, ad quem cognitio pertinet, quibus signis ad præsumendum insultum moveri debeat, idque eo magis, quò plus in his judicantium prævalet officium, dum ad illorum arbitrium res tota ut plurimum devolvi assoleat.

*Officium Ju-
dicis.*

THESIS VI.

Quomodo jam probetur auctor rixæ, non est cur pluribus prosequar, quandoquidem hanc operam dudum anticipaverunt, qui de probationibus in causâ criminali faciendis commentati sunt. Conferendus interim est Antonius Matthæi *ad ff. lib. 48. tit. 15. cap. 1. seqq.* ubi solidè eorum argumenta confutat, qui in Criminalibus per instrumenta & argumenta quid probari posse pernegant; Ad hæc in compendio edocemur ex *Leg. ult. C. de probat.* triplici potissimum viâ, per testes videlicet, instrumenta, & demum indicia, probationem procedere. Planè ad sublevandam probationis difficultatem statuto Mechlin. cautum tradit Ant. Matthæi *libr. 47. ff. tit. 1. cap. 1. no. 5.* ut uno teste producto jurari adversus adversarium possit, ipsum pugnæ auctorem fuisse. Id tamen monere operæ pretium fuerit, ad nudum vanumque fortassis rumorem

B

*Non sufficit
non fama.*

non statim condemnari quonquam debere, nisi simul ex circumstantiis, hunc, de quo fama fertur, rei illicitæ & rixæ causam dedisse apparuerit. Equidem non desunt, qui famam quoque notorium facere velint, decepti, nî fallor, inde, quod in *Cap. 32. X. de jurejur.* quasi notorium facere fama cautiùs dicitur; Veruntamen sicuti multa notoria habentur quæ non sunt, *Cap. 14. X. de Appellation.* ita hic cum ante laudato Ant. Matthæi quærere licebit, quî possit fama notorium facere, cum sit tam ficti praviqve tenax quàm nuncia veri? Proinde famam ne quidem indicium ad habendam de reo quæstionem seu ad torturam facere expeditum inter Doctores est, si vel maximè ea à cognatis & fide dignis personis originem traxerit, prout Senatum Sabaudia pronuntiâsse memorat Ant. Faber. *Cod. L. 9. t. 21. def. 20.* Neque sola vulnerati confessio, seu in iudicio seu extra iudicium facta sit, fidem operabitur, *arg. L. 10. ff. de testibus. L. 9. C. eod.* Cum præsertim in causâ criminali major profectò probatio quàm in civili requiratur. Fac verò, in mortis articulo constitutum profiteri, an tum fides dicto habenda est? Nequaquam certè, *arg. L. 3. §. 1. de Scto Silan.* licet iuramentum accesserit, cum nusquam in iure reperiatur cautum, quod vel ob difficultatem probationis credi alicui in propriâ causâ debeat. Eâdem ratione valida probatio non est, cum quis moderamen inculpatæ tutelæ allegans occisum à se alterum insultum prius fecisse asserat: Nemo enim facilè inficias ibit, æqvè fieri posse, ut innocens quoque ad justam iram provocatus, in ancipiti vitæ discrimine constituto auctore, ab ipso lethale vulnus acceperit. Quando itaque Ant. Faber ait, assertioni seu confessioni juratæ ipsius rei standum esse, non nisi cum limitatione id intellectum vult, si scilicet non appareat, occisorem fuisse aggressorem. Cæterum pergit: si contrariis indiciis urgeatur reus, torquendus erit. *Cod. L. 7. tit. 24. def. 2.* ubi iterum Senatum Sabaudia pro Ludovico hoste Tarantasiensi iudicavisse subjicit.

*Nec confessio
vulnerati.*

*vel in articulo
mortis
constituti.*

THE-

THESIS VII.

Quæ jam sint in universum delictorum indicia, certis legibus non definiri, & oculis quasi subjici posse ipse Imperator Carolus V. propter tantam personarum & rerum varietatem oppidò fassus est *Const. Crim. art. 18. jun. art. 25. §. item.* proinde in hoc *art. 25.* brevem solum communiorum indiciorum pertexit catalogum, quem notis eruditissimis illustravit Excell. in Illustri Juliâ P. P. O. Dn. D. Eisenhart / Dominus Patronus & Præceptor meus ad cineres colendus, in *Collegio MSCR. ad Ord. Crim. Carolinam Sectione VI. §. 20. usq. ad §. 81.* Nostrum hîc tantum est ea, quæ speciatim ad præsumtionem inceptæ rixæ capiendam facere videbuntur, breviter delibare. Capiuntur verò conjecturæ ex circumstantiis partim, partim etiam ex qualitate personarum, armorum, & sic porro. Generalis regulæ instar tenendum est, non eum solum, qui per iram aliquid facit, qui prior cultrum stringit aut pugnos ducit, sed & qui conviciis aut probris alium ad iram provocat, principem & principium injuriæ præsumi, ut adeò non magis ad actus violentos respiciendum esse arbitrer, quis prior percusserit, quàm ad ipsa verba in jurgio prolata, quis prior alterius insolentem contumeliæ animum in se concitaverit: non ut factis injuriam fieri negem, sed ut justè se defendenti caveam; Nihil propterea interest, quæcunqve demum ratione inferatur injuria, quæ perinde fieri poterit jactantiâ, superbiâ, contemptu, minis, inobedientiâ. *Pruckm. Cons. 22. no. 105. & admenatione, wann ein Preck / Messer / Schwert / oder Hand zum Schlage wird auffgehoben / Reyger. Thesaur. Jurid. vocab. admenatio.* Quæquam quod ad minas attinet, imprimis attendenda est complexio minantis & irati; Non enim qui longè ante cædem perpetrata contra aliquem ex subito motu animiqve præcipatione minas jactavit, aggressor statim habendus est, quippe naturâ ita comparatum est, ut qui facilè obno-

*Indicia arguendi auctorem rixæ.
Regula.*

xii sunt quibuslibet perturbationibus, & ad iram capeffendam procliviores, iidem ejusmodi commotiones etiam citius relinquunt & remittant, ac ad iram deponendam sese exhibeant faciliores; Et contra qui tardiores ad iram, hi vicissim implacabiliores & duriores sint ad remittendum. Bernh. Græv. *concl. 110. Conf. 1. no. 68.* A qualitate personæ desumpta præsumtio manat contra eum, qui sui naturâ ligitiosus, & ad rixam proclivis est, præsertim si alter pacis studiosus deprehendatur, & bonus, in quo, etiamsi injuriosa verba proferat, ne quidem animum injuriandi præsumunt Hondedæus *Conf. 96. no. 11.* & Pruckm. *Vol. 1. Conf. 22. no. 96.* cum semel malus semper præsumatur malus, *Cap. 8. de R. J. in 6to.* & semel bonus semper bonus præsumatur, *L. 5. §. 6. ff. de re militari;* ib. *Et si bonus miles antea estimatus fuerit, propè est, ut affirmationi ejus credatur,* quam sententiam probat quoque locus Ciceronis in oratione pro Milone, ubi multis Clodium virum nequam, rixosum & adeò ipsū Clodium aggressorem fuisse, ostendere conatur. Deinde contra hunc quoque conjectura sumitur, qui adversario fortior validiorque cognoscitur, sive ex propriâ personâ, sive respectu sociorum: Sic fortior dicitur, qui est audacior & robustior, qui magis in palæstrâ exercitatus, qui magis armatus; ratione sociorum fortior est, qui majori sociorum comitatu stipatus est altero, *arg. L. 1. §. 28. ff. de vi Et vi arm. ib. aut qui in hoc ipsum aptatus Et preparatus venit, ut contra bonos mores, auxilio Et c.* Quo argumento itidem usus est Cicero pro defendendo Milone, ita enim ille: *Insidiatus est Clodius Miloni, non M. lo Clodio: ille cum servis robustis, hic cum mulierum comitatu: ille equo, hic rheda: ille expeditus, hic penulâ irretitus.* Id in casu, quo fortior mortuus est, in tantum ampliat Alciat9 *presunt. 39. n. 4.* ut non obstare asserat, quod ab effectu apparet, vivum fortiorem fuisse, subditâ ratione, quia istud potuit esse propter divinaum judicium, quod noluit innocentem perire,

rire, sicut dicitur de Davide, qui interfecit Goliath. *1. Reg. 17.*
Quamquam hinc discretione & iudicio opus est, ut præsertim
solam roboris prærogativam auctorem designare non omnino
existimem; sicut enim est: habent multi fortes motus faciles,
contra infirmi multi iras caninas gerunt, ut & adlatrent & ce-
dant facile, Ant. Matthæi ad *L. 47. tit. 3. cap. 3. n. 5. p. m. 132.*
Quod autem contra juniorem tanquam fortiorem capit con-
jecturam Gramm. *Cons. 29. n. 18.* Menochio teste *de arbitr.*
judic. question. cas. 363. n. 7. istud nudè asseri tutò vix poterit,
cum & juvenicum adolescente, utpote ætate juniore, res esse
queat, quo casu pro juniore pronunciat Hondedæus *Cons. 99.*
n. 33. Ex circumstantiis deniq; aliis si signa petas, ad rixam pro-
vocasse volunt interpretes eum, qui aliàs arma gestare non erat
solitus. Qui injuriã aliquã jam affectus erat antea, siquidem
vindictæ gratiã adeoq; illicitè inimicum aggressus censetur.
Porro qui in loco rixæ inimicum hinc & inde deambulando
expectavit, ut decisum fuisse à Rotã Lucens. perhibet Riccius
Collect. Dec. 296. Qui de domo in continenti erga alterum ire
coepit. Qui alterum superat, & in terram prostratus tenet sub-
tus, Bald. *L. 1. §. cum arietes ff. si quadrup. pauper.* Qui fugien-
tem, auxilium implorantem persequitur. Contra quem alter
testes vocat durante rixã ad faciendam de insultu in ipsum fa-
cto fidem. Qui citatus non comparet. Denique eum, qui
gravius vulneratus reperitur. Et quidem pro varietate ho-
rum, quæ hactenus recensui, indiciorum, modò contra mor-
tuum, modò contra superstitem conjecturam capiendam esse
existimo: Contra mortuum pro superstitie ideo colligo, quia
in dubio satius est nocentem absolvere, quàm innocentem
condemnare, *L. 5. pr. ff. de pæn.* Solet equidem confirmandæ
huic sententiæ afferri quoque *L. 45. §. 3. ff. ad Leg. Aquil.* Ve-
rùm hoc taxat Menochius *Cas. 363. n. 16.* ait enim, ibi subesse
casum fortuitum, cum ambo current ad extinguendum

ignem stramenta comburentem, ambo inter flammam ceciderunt, & eorum unus combustus est; respondet Iustus, tunc alterum non teneri, ibi ergo non hominis culpa sed casus fortuitus consideratur. Unde & datam abs me antea probationem istam meliorem iudicat laudatus Doctor. Sed & contra superstitem pro mortuo conjectura stat, quia tamdiu aggressor praesumitur, quamdiu non probatur contrarium, arg. *L. 1. C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Caeterum in quantum circumstantiis istis, quas adduxi, fidem tribui oporteat, Iudicis providi & sagacis est, aestimare ac expendere secum, utra altera fortior sit, & an una in facto incidat, an plures invicem concurrant. Quae ratione fit, ut modo reo iuramentum purgatorium imponi, modo is torturae subjici & iterum ejus gradus jam minui jam augeri debeat.

THESIS IIX.

Si convictus fuerit provocator, tum vero omnis in eum redundabit culpa, haec enim semper penes eum esse dicitur, qui prior injuriam intulit, *L. 52. §. 1. ff. ad Leg. Aquil.* & a quo incipit malitia, arg. *L. 20. C. de furt.* Quinimodo adeo exosus est rixae auctor, ut & in dubio, si nullo modo elici queat, rixantium singuli aequali poena plecti debeant. Et quamvis si se invicem vulneraverint, neuter, habita quippe compensatione, teneatur respectu alterius partis, Gloss. in *L. 1. §. 11. ff. si quadrup. pauper.* quam Glossae opinionem Senatum Mediolanensem secutum esse ex Julio Claro refert Menoch. *cit. loc. n. 17.* respectu tamen fisci nihilominus ambos pro merita manebit poena, quia uterque deliquit contra rempublicam, quoad quam dolus cum dolo non compensatur. Accedit quod res mali exempli sit, quae adeo impunita relinqui non debeat, Boer. *c. l. n. 4.* Sequitur ut de homine in rixam occiso videamus. Si in rixam percussus homo perierit, ictus uniuscujusque in hoc collectorum contemplari Paulus jubet, *Leg. fin. ad Leg. Corn. de Sicar.* si ea con-

*Penam in rixam
se vulneran-
tium.*

*Penam rixan-
tium si homo
in rixam occi-
sus sit.*

tem-

templatio percussorem prodat, benè est : quod si autem igno-
retur vulneris auctor, verius est, omnes & singulos equivo-
imponi, aut extra ordinem puniri, non etiam gladio feriri
posse, arg. d. l. fin. ad Leg. Corn. de Sicar. l. 8. ff. de pœnis. Const.
Crim. art. 148. p. 4. const. 7. Quam sententiam sequitur & in
praxi receptam testatur Mevius ad jus Lubecense p. 4. tit. 8.
art. 8. n. 3. Præterea omnes, qui pugnârunt, tenentur in mul-
ctam civilem occisi propinquis, ratione injuriæ ipsis illatæ, ap-
plicandam, dict. art. 148. p. 4. c. 7. quam Saxones Werigel-
dum, Frisii veteres Handlefena appellant, i. e. capitis redem-
tionem, ut notat Sibrandus Siccama de legibus Frisicis p. 114.
Neque unius præstatio reliquos liberat, arg. leg. 11. §. 2. ff. ad
Leg. Aquil.

THESIS IX.

Quod autem auctorem rixæ attinet, sunt qui poenâ gladii
ordinariâ eum etiam tunc, ubi de occisore certò non constet,
plecti debere statuunt, Menoch, cas. 362. n. 23. Sed contraria
sententia, scilicet auctorem rixæ hoc casu non poenæ homici-
dii ordinariæ sed arbitrariæ subjiciendum esse, magis arridet,
quam cum Berlichio quoque tuetur Carpzov. quest. 25. n. 51.
seqq. tum ob textum disertum in art. 148. Ord. Crim. tum quod
auctor rixæ, quamvis mortis causam præbeat remotam, & ad
subsecutum eventum directè non ordinatam, tamen nec sta-
tim occisor est, nec causam mortis propinquam, quæ in Leg. 15.
ff. ad Leg. Corn. de Sicar. supponitur, præbet. Cæterùm quæ
à dissentientibus adducitur, L. 3. §. 4. verb. item qui auctor ff. ad
Leg. Corn. de Sic. parùm ad rem facit, non enim de rixæ sed se-
ditionis auctore loquitur; seditio multorum est, rixa etiam
paucorum: illa ad Rempubl. spectat, non hæc. Sed nec L. 6.
C. ad Leg. Jul. de vi multùm urgere videtur, loquitur enim de
eo, qui armatus & hominibus coactis ad arripiendum alteri
possessionem proficiscitur, qui proposito delinquit non impe-
tu,

*Pœna aucto-
ris rixæ, si de
occisore non
constet.*

*Resp. ad LL.
obst.*

tu, ut qui rixam concitat, temeritate magis quam proposito id facit: ut taceam, quod per se crimen capitale sit proficisci armatum ad occupandam possessionem, etsi cades non sit secuta. Quâ ratione auctorem rixæ, si de occisore non constet, capite plectendum non refragarer, si non temerè sed consultò rixa excitata dicatur, eo fine, ut in rixâ homo periret; Ant. Matth. libr. 48. tit. 5. cap. 4. n. 20. Quamvis verò auctor rixæ hoc casu gladio feriri non possit, tamen vel hoc solo, quod auctor rixæ est, præsumtionem adversus se excitat, ut meritò torqueri possit, Zanger. de quæst. & tort. cap. 2. n. 161.

*Auctor rixæ
torquendus.*

THESIS X.

*Auctor rixæ
beneficio ne-
cessariæ de-
fensionis non
utitur.*

*Tempera-
mentum,*

Hûc quoque referendum est, quod auctor rixæ, si postea in discrimine vitæ constitutus provocatum occidat, nec beneficio necessariæ defensionis uti, nec à poenâ ordinariâ gladii se liberare possit: Atque hæc sententia communi Dd. calculo approbata fertur, vid. Gvazzin. defens. 29. c. 4. n. 34. neque suis rationibus destituitur, ex quibus potissima est, quod sicuti in excusandis delictis principium imprimis spectandum est, L. 6. C. de vi publicâ & pr. ita internecio ab auctore rixæ facta non defensio sed potius vindicta censi debeat, quæ veniam non meretur; si placet, novissimè adiri potest Carpzov. p. 4. c. 12. def. 8. & qv. 29. no. 43. seqq. ubi hanc sententiam variis præjudiciis comprobavit. Verùm enim verò hîc cautione opus esse videtur, quandoquidem alia ratio auctoris pugnæ est, alia auctoris rixæ. Neque enim auctor rixæ, nisi simul pugnæ auctor sit, statim poenam ordinariam promerebitur, quod elegantî præjudicio confirmat Sandius libr. 5. Dec. tit. 9. def. 7. Unde etiam Brunnemannus ad l. 4. pr. ad L. A. n. 4. difficile est, ait, hîc in genere assurgere Carpzovio, nisi præsupponas auctorem fuisse pugnæ, & auctorem rixæ non obtulisse pacem, &c.

THE-

T H E S I S X I.

Nec prætereundum est, quod invasus in propriæ vitæ de-
 fensionem interficere injustum aggressorem possit, *Exod. XXI. vers9 aggres-*
13. & XXII. 2. Gen. XIV. 14. Deut. XIX. 9. L. 3. ff. de J. & J. L. 1. solem cum
& 2. C. ad L. Corn. de Sic. jun. 1. 1. C. unde vi Cap. 6. pr. de sent. internecone
exc. in 6. etiam cujusque dignitatis insultantem, Papam quoq; ejus se defen-
& Imperatorem, arg. l. 29. §. 7. ff. ad L. Aquil. l. 32. ff. de injur. dere potest.
Besold. p. 4. cons. 168. Quamquam verò Accursius in d. l. 3. ff. de Ampliatio-
J. & J. dicat id intelligendum esse de jure fori non cœli, id ta- nes.
 men à Theologis æque ac Jctis communi consensu reproba-
 tum testatur Molina *de J. & J. tom. 3. part. post. tr. 3. disp. 11. n. 3.*
 Neque circumstantia æterni interitûs ex parte aggressoris im-
 pedit, quo minus invaso etiam verisimiliter in gratiâ existenti
 fas sit aggressorem interficere, quoniam cura vitæ propriæ sem-
 per unicuique incumbit, alienæ verò non nisi in eventu neces-
 sitatis, quando scilicet indiget operâ nostrâ, quâ de causâ, quoties
 proximus sibi ipsi sufficienter providere potest, non tenemur ei
 subvenire saltè cum nostro notabili detrimento, etsi detrimen-
 tum illi longè sit gravius, consequenter nec vitam spiritualem
 illi nostræ propriæ corporali præponere, præsertim cum veniâ
 aggressori factâ non necessariò concludi queat, eundem dein-
 cept conversum & salvatum iri. Nec moveor auctoritate Au-
 gustini *L. 1. de Civ. Dei cap. 21. & Thomæ 2. 2. quest. 64. art. 7.*
 quam nonnulli contra urgent. Quandoquidem cum Molina *Resp. ad loca*
Disp. 13. n. 3. nihil vetat utrumque Doctorem intelligi de casu, obstantia,
 quando mors aggressoris intenditur ab invaso in vindictam in- *Augustini ac*
 justæ aggressoris, atque ex odio, ut frequenter fieri solet. An *Thomæ.*
 autem invasus interficere aggressorem teneatur, pulchrâ distin-
 ctione, à qualitate & conditione personarum desumptâ, exami-
 navit laudatus Molina *seq. Disp. 14.* quo brevitas causa me re-
 mitto. Planè tertius quoque in defensionem vitæ proximi
 injustum aggressorem interficere potest, *dict. cap. 6. de sent. ex*

C

comm.

Regula.

comm. in 6to. Imò quandoque tenetur, quod itidem Molina *Disp. 18.* fusè executus est. Quod verò dictum fuit, in vaso auctorem rixæ interficere licere, cum moderamine inculpatæ tutelæ accipiendum est. Ut verò tantò certius constet, quando in vasus judicandus sit cum moderamine inculpatæ tutelæ interfecisse, regula ponenda est: Quoties in vasus videt aut rationabiliter timet sibi inferri posse mortem, nisi aggressorem interficiat, aut nisi id efficiat unde mors aggressoris possit sequi, vel re ipsa sit secuta, nihilque tunc ei occurrit neque facile, si voluisset, potuit occurrere attentâ perturbatione illius conflictûs circumstantiisque concurrentibus, quod efficeret ut se ipsum tutò à periculo sine aggressoris morte liberaret, toties dicendus est cum moderamine inculpatæ tutelæ interfecisse, quæ regula Molinam auctorem laudat *Disp. 11. n. 5.*

THESIS XII.

*Cam inter-
necione ag-
gressoris se
defendens
non punitur.
modò probet.
Exceptio.*

*Quomodo
fieri possit
defensionis
probatio.*

*Si constet oc-
cisum fuisse
auctorem
rixæ.*

Ex iis autem, quæ adduxi, sponte suâ sequitur, eum, qui auctorem rixæ observato moderamine inculpatæ tutelæ occidit, ab omni omninò poenâ immunem esse, imò & à refusione damni exinde secuti, *Ord. Crim. art. 139. 140.* modò tum insultationem ab occiso, tum quovque occisionem in continenti & in præsentis vitæ periculo factam, quibus capitibus absolvitur moderamen inculpatæ tutelæ, probet, *arg. L. 1. C. ad L. Corn. d. Sic. Ord. Crim. art. 141.* Nisi tamen actor libellum qualificatum proponat, reum dolosè, fraudulenter, perfidè & violenter, *mördlicher / fürseßlicher und gewaltsamer weise /* defunctum occidisse: Tum enim is potiùs allegatas has qualitates probabit: Cautus itaque sit necessum est actor in concipiendo libello, cui sufficit factum seu eadem tantum probâsse, quæ cum per se sit illicita, ita illicitè præsumitur, donec contrarium doceatur, *Hahn. ad Wesemb. tit. de L. Corn. d. Sic. n. 22.* Planè probatio singulari defensionis favore etiam per testes alioquin inhabiles fieri potest, ut domesticos & consanguineos interfectoris, imò & de credulitate ac negativè deponentes, *Carpz. quest. 33. n. 41. seqq.* Tametsi eim domesticum testimonium *L. pen. ff. & l. 2. C. de testibus c. 12. dist. 3. 4. quest. 5.* indistinctè reprobatur, *Fachin. 9. Contr. 83.* tamen hætenus expresso textu *Ord. Crim. art. 47.* confirmatum legitur. Quoties verò constat interfectum fuisse auctorem rixæ, toties præsumitur in continenti & ad vitandum præsens periculum facta defensio, utique si castra sequimur Jasonis, Bocerî, aliorumque, quos citat *Hondedæus*
Vol. 1.

Vol. 1. Conf. 99. n. 13. 14. Quamquam communis sententia, quam probat Carpz. *qvæst. 33. n. 17. seqq.* est, præsumtivam probationem defensionis necessariæ occisorem quidem à poenâ homicidii ordinariâ, non autem ab aliâ extraordinariâ liberare, atque adeò ut occisor ab omni omninò poenâ immunis sit, necessariam defensionem secundùm requisita omnia, scilicet tum insultum, tum quoque occisionem in continenti & in præsentis vitæ periculo factam esse, probandam, arg. *art. 141. Const. Crim. p. 4. const. 8.* Sin auctorem rixæ occisum esse non constet, tunc confu-

Si non con-
stet.

Cautela.

THESIS XIII.
Cæterùm si in vasus moderamine inculpatae tutelæ non usque qua- que observato auctorem rixæ interficiat, tenetur de excessu, quæ est communis Dd. sententia, teste Molinâ *Disp. 31. n. 8.* sic si quis pugno, baculo, vel alio modo percussus armis & gladio resistat, ac insultantem interficiat, cum tamen aliter se defendere & mortis periculum effugere posset, extra ordinem ad fastigationem usque plectitur, arg. *cap. 18. X. de homicid. Ord. Crim. art. 140. 142.* pariter ac is, qui excipiens colaphum percussorem gladio vel pugione confodit, arg. *d. art. 140. Gl. art. 78. libr. 3. R. n. 10.* Eandem poenam extraordinariam incurrit, qui cum fugâ salutis suæ consulere posset, citra periculum aggressorem sui defendendi causâ occidit, nec non qui ab aliquo insultatus aggressorem fugientem necat, arg. *d. art. 140. 142.* Ut ut hîc probè circumstantias attendi oporteat, scilicet qualitatem armorum, facti ipsam necessitatem & periculum imminens, nec non habitum utriusque tam insultantis quam insultati, ne vel durior vel mitior poena reo indicatur. Imprimis

Exempla eo-
rum, qui au-
ctorem rixæ
nullâ urgen-
te necessita-
te occidunt.

C 2

autem

De eo, qui in-
juriis verbalibus affectus
injuriantem
occidit.

autem notandam doctrinam Capollæ distingventis ait Carpz. *quest. 30. n. 49.* eamque ante Carpzovium commendat Farinacius *quest. 125. n. 193.* Quid autem? an is quoque tantum de excessu tenebitur, adeoque poenam homicidii ordinariam effugiet, qui injuriis verbalibus affectus ac convitiis lacesitus, honoris tuendi causâ injuriantem occidit? Sunt certè magni nominis Jcti, quæ affirmativa arridet, ut videre est apud Carpz. *d. q. 30. n. 68.* Mihi placet distinctio laudati Carpzovii *n. 76.* circa qualitatem cum injuriarum tum personarum, quibus illæ illatæ fuerunt, ut si persona honoratior injuriis atrocioribus lacesita, ac iracundiæ calore commota in continenti injurianti necem inferat, ei aliquo modo indulgendum sit, *p. 4. c. 42.* contra verò injuriæ leviores occisorem poenæ ordinariæ minimè subtrahere queant, præsertim si non in continenti, sed post aliquod temporis spatium cædes perpetrata sit, nisi fortè ab ejusmodi personalis injuriæ origine gravioris cujuscumque damni vel vitæ metus atque periculum alicui imminere videatur. Licet aliàs ex solâ suspitione etiam vehementi mortem injustam parari nefas sit interficere eum, de quo est suspicio, nisi aliter quam occidendo non pateat via evadendi mortem graveve periculum mortis, quod nequitiâ illius, qui decrevit interficere, nobis imminet, ut rectè Molina *Disp. 12. num. 2.*

THESIS XIV.

Fundamen-
tum attem-
perandi poe-
nas.

De duobus i-
nemicis invi-
cem obviam
venientibus.

Porro in summâ hîc, Doctore eodem Molinâ *disp. 31. n. 9.* tenendum, sicuti dolus vel intentio interficiendi allevatur ex eâ circumstantiâ, quod interfectus fuerit auctor rixæ; ita quando interfecto non ex dolo, sed ex latâ aut levi culpâ aggressorem interfecit, eam culpam ex eadem circumstantiâ multum extenuari, ut adeò minori poenâ puniendum sit homicidium ex tali culpâ commissum, quam puniretur, si ex æquali culpâ fuisset perpetratum. Planè si quis ab aliquo jocosè illusus aut facetiis perstrictus, aut leviter offensus adversarium occidat, à poenâ L. Corneliæ de sicariis nequaquam liberari, neque ullâ se exceptione defensionis tueri potest, Carpz. *q. 30. n. 14.* Fac duos inimicos gravissimo odio se prosequentes, invicem obviam fieri in viâ publicâ, atque eorum alterum impingere in alterum, aut levi aliquo verbo vel facto ipsum provocare, provocatum verò alterum stricto gladio interficere, an interfecto à poenâ Leg. Corneliæ de sicariis liberabitur? Quam questionem quotidianam esse, sed & difficillimam dicit Gribaldus. Ego non

non dubito, occisorem poenae ordinariae submitendum esse, quoniam tale homicidium jam erat in animo & desiderio capitalis inimici praecogitatum & conceptum statutumque ut primo verbo vel facto inimici quamvis levissimo provocatus ipsum occideret. Unde licet talis provocatio causam effectui dedisse videatur, attamen revera malus animus praecedens & odium capitale potissimum causa homicidii fuerunt: neque enim levis illa provocatio tam severae vindictae tantique facinorae causa fuisset, nisi malus animus & odium capitale praecessisset, ut adeo effectus occisionis non illi provocationi accidentali, sed malo animo imputari debeat. Itaque dolosa intentio jam ad homicidium saltem in genere & conditionaliter praeparata non excusatur ulla provocatione sequente, arg. *L. 9. ff. de extraord. crimin. vid. Caball. tract. de homicidio num. 115.*

THESIS XV.

Denique perspicendum, cuius gratia potissimum hoc argumentum delectum fuit, scilicet pluribus in una societate constitutis an auctor rixae intelligatur in personam singularem, an vero rixa ab uno ex pluribus cum extraneo concitata reliquis ejusdem consortii haecenus imputanda sit, ut pariter auctores rixae dici possint? Certè qui ad momenta rerum Criminalium commentati sunt, quoad mihi quidem animadvertere licuit, hunc articulum non attigerunt, quem tamen evolvi omnino intererat. Casus notabilis ad Collegium Vitembergense transmissus causam dedit examini, quem hic referre peropportunitate est: Mævius, Sempronius, aliique, cum ex conductu amici redirent, viderunt Titium prope fores domus Cerevisariae stantem, clamantemque audiverunt. Tum vero Mævius Titium, qui vocem extulerat, injuriavit, *Hunds was schreyestu?* quibus verbis permotus Titius mutuam injuriam numero plurali enunciavit, *ihr Hunds*. Postmodo Sempronius, Mævii Consort, arbitratus injuriam à Titio prolatam ad se quoque pertinere, his verbis retorsit, *ein Hunds schimpfet uns*. Disquirebatur uter auctor rixae esset? Inclyti Scabini Lipsienses Sempronium aequè ac Mævium habitam Consortii ratione rixae auctorem esse pronuntiaverunt. Contra Ordo Vitembergensis haecenus solum Mævium auctorem rixae esse non Sempronium

Pluribus in una societate constitutis an auctor rixae intelligatur in personam singularem. Casus.

Dissensu Collegiorum Saxonicorum.

ac Mævii reliquos Consortes, quin imò Titium numero plurali injuriam mutuam efferentem, quod ad Sempronium ac reliquos ejusdem Consortii attinet, potiùs pro auctore rixæ habendum esse censuit. Certè sententia, quæ communi consensu invaluit, scilicet contra auctorem rixæ, qui deinceps in discrimine vitæ constitutus se defendendi causâ aliquem occidit, beneficio necessariæ defensionis non uti, adeoque nec à pœnâ ordinariâ gladii liberari, rigida est, ceu ex iis facili negotio colligitur, quæ ex Sandio ac Brunnemanno *ib. 10.* adducta sunt. Quâ de causâ durum periculosumque foret eam opinionem extendere, aliàs enim facile eveniret, ut si homo rixosus se consortio ingerat, & extraneum offendat, & ad rixam concitet, ejus culpa reliquis, qui tamen principio actionis abstinuerunt, & nihil quicquam deliquerunt, sed ab offenso extraneo irritati eum occiderunt, noceret, & jus defensionis necessariæ, quod omnia jura vehementer sollicitèque commendant, detraheret. Equidem *L. 38. §. 2. ff. de pœnis*, auctores seditionis & tumultûs dicuntur; sed eos omnes causam malo dedisse & populum concitasse supponendum est, ibi: *populo concitato*. Aliàs auctor seditionis in singulari usurpatur *L. 3. §. 4. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Vid. Dn. Præses *Conclus. Forens. Exerc. 1. Conclus. 5.* Operæ pretium est, rationes sententiæ à Dn. Præsede conceptas subjungere: Ob nun wohl was den 1. &c. entstandenen Streit anlanget / wir in denen Gedancken begrieffen / daß Sempronius pro Auctore rixæ füglich nicht gehalten werden könne / in Erwegung daß / ungeachtet Mævius Titium, welcher vor gedachtem Hause geschrien / zu erst einen Hundsgelächter haben mögte. / jedennoch solches Sempronio zu selbigem Ende mit bestande nicht entgegen gesetzt / sondern vielmehr der Schreyende / als er N. N. N. N. eydlichen Aussagen nach auff jetztbenannten Mævii vorhergehende Injurien diesen und Consorten nomine colectivo und also ingesamt gescholten / so viel Sempronium und die übrigen Consorten auffer Mævium betrifft / vor dem Urheber des Streits wohl gehalten werden mag / gestalt dann
Sem.

Præjudici-
um.

Sempronius eher nicht / als da der schreyende Titius angeführter massen Mævii Compagnie ingesampt injuriiret, gesaget: Ein Hunds-schimpfet uns / und die bekante Doctrin, daß einem auctori rixæ die Nothwehr nicht zustatten kommen könne / in Gemein allein von einzelnen Personen gebraucht: insonderheit aber auff den Fall / wann einer aus einer ganzen Gesellschaft mit andern in Streit geräth / und hierzu anlaß giebet / deutlich nicht erstreckt wird / andergestalt es auch sehr hart zu seyn scheint / daß / wann ein unruhiger Kopff sich in einer Compagnie befände / und andere zum Zanck bewegete / denen übrigen in angeregter Compagnie, so doch zu dem principio actionis nichts beygetragen / solches nichts destoweniger ebenermassen beygemessen / und hierdurch das Recht der Nothwehr entzogen werden solte. 2c.

THESIS XVI.


Neque prætereundum est, quod ulterius in eodem facto accidit. Videlicet Mævius ejusque Consortes non substiterant, sed loco cedentem Titium persecuti domum, in quam denuò secessit ille, facto verbisque injuriosis impetierant. Tum verò Titius & Sejus reliquique hospites, in eadem domo cerevisiæ bibendæ causâ commorantes, profilière, & in Mævium sociosque irruerunt. Quare factum, ut infelici fato à Sempronio, prætendente se in discrimine vitæ constitutum fuisse, Sejus occideretur; Unde porro quæsitum fuit, an Sempronius respectu occisi Seji auctori rixæ dicendus esset? Deposuerant duo testes jurati inter alia, illos, qui Titium in domum se recipientem persecuti erant, numero plurali *Ihr Hunds-* prolocutos esse, quo & similibus argumentis ductus Illustris Scabinatus nec non deinceps Facultas Lipsiensis seorsim Sempronium torturæ subjiciendum pronunciaverunt, primo interrogatorio hunc in modum formato: *Ob nicht Inquisit nebst seinen Cameraden nicht allein den schreyenden Titium, sondern auch die übrigen*

*Continuatio
ejusdem ca-
sus.*

Dissensus eorundem Collegiorum.


Verba Responsi.

gen in dem Bier-Hause befindliche Gäste mit schimpflichen Worten angegriffen? Postquam verò laudata Facultas Juridica & Scabinatus Lipsiensis ex peculiari Rescripto Serenissimi Saxoniae Electoris jubebantur collatis sententiis in hac ardua causa pronunciare, res ita cecidit, ut primum interrogatorium ita mutaretur: **Ob nicht Inquisit oder seine Cameraden nicht allein Titium sondern auch die übrigen in dem N. Hause befindliche Gäste mit schimpflichen Worten angegriffen?** Putaverunt nimirum utriusque Collegii Lipsiensis J.Cti, ut Sempronius occisor auctor rixae dici possit, sufficere alterutrum, si vel ipse vel ejus Confortes injuriis lacesiverint præter Titium reliquos in domo Cerevisiaria commorantes hospites, consequenter Sejum quoque occisum. At verò Ordo Vitembergensis deinceps denuò consultus existimavit, ad hoc ut Sempronius respectu occisi Seji auctor rixae dici posset, nequaquam injurias à Consortibus Sempronii in reliquos in domo commorantes hospites evomitas sufficere, sed præcisè necesse esse, ut Sempronius occisum Sejum in specie vel certè sub nomine colectivo contumeliosè habuerit: Quapropter iidem J.Cti Vitembergenses primum interrogatorium omisis verbis, **oder seine Cameraden,** temperandum esse responderunt. Non piget verba responsi à Dn. Præside concepti subnectere: **Es ist aber nichts destoweniger in mehrer Erwegung/das Mavii und deren übrigen Consorten facta Sempronium füglich zum auctore rixae nicht machen mögen / sondern Er selbst die in dem N. Hause ausser dem schreyenden befindliche Gäste injuriiret, und dardurch zu der erfolgten That Anlaß gegeben haben muß / das in vorigem Urtheil enthaltene erste Fragstücke allein auff Inquisiten einzurichten / und also die folgende Worte: oder seine Cameraden, zu übergehen.**



Wittenberg, Diss., 1688-89

ULB Halle 3
003 731 693



f
56.

1017



3736.

I. N. J. 1688
DISSERTATIO JURIDICA

De
**AUCTORE
RIXÆ,**

Quam
PRÆSIDE
**DN. JO. HENRICO
BERGERO, U.J.D.**

ET PAND. P.P. CURIÆ ELECTORALIS,
SCABINATUS AC FACULTATIS JURIDICÆ,
NEC NON JUDICII DUCALIS, QVOD IN INFE-
RIORE LUSATIA EST, ASSESSORE, ET h. t. COL-
LEGI SUI DECANO,

*Domino Patrono & Præceptore suo nunquam
non obsequiosissime suspiciendo,*

Publico Eruditorum Examine
submittit

AUCTOR

ADAM-HULDRICUS Schaffer / Spiræ-Rhenan.

Ad d. XIII. Augusti. MDCCLXXXVIII. H.L. Q.S.

WITTENBERGÆ, Literis VIDUÆ MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typ.

